



SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS



Zu der

öffentlichen Prüfung der Schüler

des

Real-Gymnasiums

zu

Rendsburg

am 25sten und 26sten März 1863,

sowie zu der

Redefeierlichkeit


am 27sten März, Morgens 10 Uhr,

ladet geziemend ein

der

Director

Dr. **P. S. Frandsen,**
Professor, Ritter des Dannebrog-Ordens.



Inhalt.

1. De rebus capitalibus Atheniensium, quae *τῶν φονικῶν* nomine comprehenduntur; von Adjunct Dr. Bohstedt.
2. Jahresbericht; vom Director. "

Rendsburg.
Wendell'sche Buchdruckerei.
1863.

DE

REBUS CAPITALIBUS ATHENIENSIUM, QUAE ΤΩΝ ΦΟΝΙΚΩΝ NOMINE COMPREHENDUNTUR.*)

Inter quaestiones obscurissimas maximeque implicitas eae numerandae sunt, quae ad jus Atticum pertinent. Deest nobis omnino corpus juris Attici. Necesse igitur est, e singulis oratorum locis saepe obscuris ambiguisque res nostras colligamus; quin interdum cogimur, ut tamquam ad unicum fontem confugiamus ad posterioris aetatis grammaticos, quos dicunt, vel lexicographos, qui quum quae tradebant male intelligerent, falsa saepe et sibi contraria nobis retulerunt. Quid igitur mirum, quod multae quaestiones plane ad finem non perduci possunt, de nonnullis adeo inter se discrepant viri docti, ut in alio libro de hisce rebus scripto aliam invenias sententiam. Attamen hoc certe Wachsmuthii, aliorum opera factum est, ut plerique scriptorum Atticorum loci, qui ad res dijudicandas alicujus momenti sunt, in lucem sint prolati. Non igitur novis locis investigandis, quae extat, copiam aucturus rebusque novam lucem allaturus sum, sed nixus tantum testimoniis satis notis nonnullas gravissimasque quaestiones iterum brevi examini subjiciam. — Ordo, quem in rebus tractandis secutus sum, hic est:

Agam I. de judicibus, forisque eorum.
II. de causis, quae cuique foro addictae erant.
III. de accusatoribus et de via ac ratione causae persequendae.
IV. de suppliciis damnatorum.

I. De judicibus.

Quinam et quales judices antiquissimis temporibus de causis ad caedem spectantibus judicaverint, de ea re nihil certi explorari potest. Certa autem fora jam olim ejusmodi causis disceptandis inser-

*) De iisdem rebus F. Hornius in progr. schol. Ploen. 1859 scripsit. Uterque nostrum ad eas tractandas primum praemio in academia Kil. proposito incitatus et, ni fallor, principalis utriusque dissertationis pars eodem fere tempore confecta est; certe ego nonnullis partibus exceptis meam disputationem ante absolvi, quam Hornii mihi incidit in manus. — Hoc praemittendum esse censui, quia et in disponendis rebus et in nonnullis vv. dd. sententiis dijudicandis interdum similitudinem quandam apud nos animadvertere possis.

viisse, optimo jure e variis mythicis narrationibus, quae hic illicve apud scriptores veteres feruntur, colligere possumus. Sunt videlicet tribunalia in colle Martio, ad Palladium, ad Delphinium, ad Prytaneum et quod Phreattis fuit juxta mare. Dracontis aetate illud judicum collegium, cui Ephetarum nomen erat ac quod postea de nonnullis tantum criminibus judicasse constat, in hisce foris omnibus suffragia tulisse, non veri absimile est. De illis igitur primum videamus.

Principalis de Ephetis auctor est Jul. Pollux, ejusque verba propterea praecipue examini subjiciamus. Refert ille Onomast. VIII, X haec: *'Εφέται τὸν μὲν ἀριθμὸν εἷς καὶ πεντήκοντα. Δράκων δ' αὐτοὺς κατέστησεν ἀριστίνδην αἱρεθέντας. ἐδίκαζον δὲ τοῖς ἐφ' αἵματι διωκομένοις ἐν τοῖς πέντε δικαστηρίοις. Σόλων δ' αὐτοῖς προσκατέστησε τὴν ἐξ 'Αρείου πάγου βουλήν. δοκοῦσι δ' ὀνομάσθαι, ὅτι πρότερον τοῦ βασιλέως τοὺς ἐπ' ἀκουσίῳ φόνῳ κρινομένους ἐξετάζοντος ὁ Δράκων παρέδωκε τοῖς ἐφέταις τὴν κρίσιν, ἐφέσιμον ἀπὸ τοῦ βασιλέως ποιούμενος.* Hisce addas, quae apud Suidam s. v. feruntur: *ἐφέται, οἳ π' ὄντες ἐδίκαζον. ἐφέται, ἄνδρες ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότες καὶ ἄριστα βεβιωκέναι ὑπόληψιν ἔχοντες.*

Videmus, jam quod ad numerum Ephetarum attineat, Pollucem et Suidam inter se discrepare, hic octoginta, ille quinquaginta unum nobis exhibet. Quum vero Suidae verba paene congruant cum iis, quae apud Photium inveniuntur „*περιιόντες ἐδίκαζον*“ ille, ut saepe, hujus verba male transscripsisse videtur (cf. C. F. Hermann Griech. Staatsalterth. § 102 N. 12 et O. Müller Aesch. Eum. p. 142). Certe posterioribus temporibus Ephetarum numerum LI fuisse probatur Demosth. in Macart. § 57: *γνῶσι δὲ οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς.* Quomodo Ephetae electi compositique sint, conjectura tantum consequi possumus. Refert quidem Pollux „*κατέστησεν αὐτοὺς ἀριστίνδην αἱρεθέντας*“ sed nescimus jam, utrum „e nobilitate“ an „ex optimis“ sive „e virtute“ interpretari debeamus; hanc enim posteriorem significationem etiam vocabuli *ἀριστίνδην* fuisse, Andoc. de Pace p. R. 104, Aristotel. Polit. 2, 8, 2 et 4, 5, 10 demonstrare videtur. Homines nobiles Ephetas fuisse O. Müllerus (l. c. p. 150) putat. Quod autem pro argumento affert, nobiles solos rerum sacrarum gnaros fuisse ideoque iis solis ea munera judicialia tradi potuisse, quae piaculorum instituendorum similiumque rerum notitiam efflagitarent, minus mihi probabile est. Quidni plebeji earum rerum scientiam sibi comparare potuerunt? Solonis aetate archon rex, quem nobili loco natum esse non oportuit, summi pontificis munere functus est; non igitur intelligimus, cur non jam Draco certa sacra etiam plebi mandare potuerit. Num Ephetarum electio, sive nobiles sive plebeji fuerunt, ita facta sit, ut quinos e singulis decem tribubus sumerent, quod quidem nonnullis videtur, in dubio relinquamus. Erant enim LI Ephetae, non L. Qui autem archontem regem, quum Ephetarum judicio praeesset, etiam inter eos numeratum esse putant, iis maxime dubito assentire; nam tantum interest inter magistratum, qui causam praeparat atque in forum infert, et judices, qui suffragia ferunt, ut ille cum his vix confundi possit. Ceterum etiam accepta conjectura illa nova oritur quaestio, quaenam scilicet Ephetarum eligendorum ratio fuerit decem tribubus nondum constitutis. Weberus (ad Dem. Arist. p. 270) duodenos e singulis quattuor tribubus electos esse conjicit, ut addito rege cum duobus *παρέδροις* numerus ille compleretur. Attamen non solum regem, sed etiam assessores ejus in Ephetarum numero habitos esse, nimis a verisimilitudine abscedit, praecipue quum hos Clisthensis aetate remotos esse statuendum sit. Nihil igitur restare videtur, quam inscitiam nostram libere confiteri.

Quaenam sit vocabuli Ephetarum origo, etiam quaesitum est. O. Müller (o. d. Aeschyl. Eum. p. 142) nomen iis inde ortum esse putat, quod causa cognita immittebant vindicem in homicidam (*ὅτι ἐφιᾶσι τῷ ἀνδροφόνῳ τὸν ἀνδρηλάτην*). At ejus modi appellatio minus judicibus apta esse vide-

tur, quippe qui non condemnent solum, sed absolvant etiam. Aliam etymologiam Schoemannus in Ant. G. p. 469 proponit interpretans nomen „Anweiser des Rechts“. Neque vero, quod principium est, locutionem δίκην ἐφεῖναι de juredicundo omnino usitatam fuisse demonstravit. Nostro Pollucis loco nixus (δοκοῦσι δὲ ὀνομάσθαι sequ.) Hermannus (Staatsalterth. § 102) Ephetas eos esse dicit, ad quos provocetur ab altero judicio. Sed in etymis verborum investigandis Pollucis auctoritati non multum tribui potest; praeterea quod a sola caedis non voluntariae cognitione ad Ephetas translata deducit nomen, quum illi primum de omnibus caedis causis judicasse videantur (ἐδίκαζον ἐν τοῖς πέντε δικαστηρίοις cf. infra) a verisimilitudine maxime abscedit. Si a provocando vocabulum nostrum deducere volumus, statuendum est, omnium capitis causarum judicium ante Dracontis aetatem penes regem archontem fuisse, postea instituta provocatione etiam Ephetas de iis suffragia tulisse. Hoc quidem per se bene fieri potuit, sed verisimilius mihi videtur, Ephetas, ut post Solonem, sic jam ab initio de causis suis primam habuisse cognitionem. Praeterea rex ipse Ephetarum collegio praefuisse videtur; quod si verum, videlicet ab illius judicio ad hosce provocatum esse non est credibile.

Equidem Ephetas nihil significare puto, nisi commissarios, sive nomen ortum esse mavis παρὰ τὸ αὐτοῖς ἐφεθῆναι τὰ τῆς κρίσεως (cf. Harpocr. s. v. ἐπὶ Παλλαδ.), sive παρὰ τὸ αὐτοὺς ἐφεθῆναι εἰς τὰς κρίσεις. Idem fere Weberus (ad Dem. Arist. p. 269) de vocabuli significatione statuit; errat autem, quod Pollucis verbis sententiam suam adjuvari putat; nam ea, quam exhibet, verborum „ἐφέσιμον ποιούμενος“ interpretatio „judicium a rege ad Ephetarum potestatem transferens“ vix potest probari. Locus ille nullam aliam vim habet, nisi quam Hermannus ei tribuit, i. e. Ephetis cognitionem tradidit, provocationem instituens a regis judicio. Exemplo, quod W. ad explicationem suam defendendam laudat, Orat. Halon. 9, p. 79: „ἐπειδὰν ὡς ἑαυτὸν ἐπανεχθῇ, ἐφέσιμον τὴν παρ᾽ ὑμῶν γενομένην γνῶσιν ὡς ἑαυτὸν ποιούμενος“, quum et hic de provocatione, etiamsi non proprio sensu, sit sermo, nihil probatur. Sunt, qui passiva Ephetarum significatione offendantur (Müller l. c., Buttmann Große griech. Gramm. 2. Ausg. p. 421). Sed quamvis nomina in της et τηρ cadentia vulgo personas agentes denotent, feruntur tamen, contrarii usus exempla, cf. Eurip. Iph. Taur. v. 1100 ed. Kirchh. κηροθέτας, Soph. Trach. 624 Dind. ἐνδυτὴρ πέπλος, Myron apud Athen. VI, p. 272: Πολλάκις ἠλευθέρωσαν Λακεδαιμόνιοι δούλους, καὶ οὓς μὲν ἀφέτας (manumissos) ἐκάλεσαν. Etiam qui apud Aeschylum occurrunt ἐφέται (Pers. v. 80: Ἀσίας Σούριος ἄρχων ὀχυροῖσι πεποιθὼς ἐφέταις) nostrae vocabuli interpretationi favere videntur; sunt exequendorum regis mandatorum commissarii, i. e. ministri.

Quaenam sint quinque illa judicia, quae Ephetas obtinuisse tradit Pollux, dubium esse non potest. Ipse Pollux paulo ante Areopagum, forum ad Palladium, ad Delphinium, ad Prytaneum et Phreaticum enarrat; eadem Dem. Arist. § 65 sequ. afferuntur neque alia praeter haec omnino fuisse videntur, ubi caedis causas disceptarent. Si igitur vera retulit Pollux, de omnibus caedis causis antiquitus Ephetas cognovisse statuendum est. Quocum optime congruit, quod Plutarchus (Sol. c. 19) tradit memoriae, Draconlem in iis legibus, quae ad caedem spectent, omnino non Areopagitarum, sed Ephetarum tantum facere mentionem. Attamen in eodem capite Plutarchus plebiscitum Atheniensium nobis servavit, Solone archonte editum, quod dubitantes nos reddere possit. Compositum erat hisce verbis: Ἀτίμων, ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν, πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι, ἐπιτίμους εἶναι, πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ ὅσοι ἐκ τῶν Ἐφετῶν ἢ ἐκ Πρυτανείου καταδικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων ἐπὶ φόνῳ ἢ σφαγαῖσιν ἢ ἐπὶ τυραννίδι ἔφυγον, ὅτε θεσμὸς ἐφάνη ὅδε. Quid memorantur ex Areopago et e Prytaneo damnati, si et hic et illic judicabant Ephetae? Conjicit Meierus (Att. Proceß p. 22) reipublicae turbatores tyrannidisque affectatores a naucrarorum prytanibus, qui teste Herodoto (V, 71) illo tempore summam rei publicae

administrabant, in Prytaneo esse judicatos, atque praecipue decreti verba „ἐκ Πρυτ. καταδικασθέντες“ ad Cylonis socios pertinere. Sed quinam fuerint ab Areopago damnati, nobis non indicat Meierus. Et ego prytanum illorum collegium suffragia in eos tulisse credo, qui rei publ. statum labefacere conarentur; quum vero idem habeam hocce collegium atque senatum Areopagiticum, cujus Arist. (Pol. 2, 12) facit mentionem, etiam judicum munere prytanes in colle Martio functos esse puto, confirmaturque haec opinio scholio quodam ad Arist. Equit. 445: οἱ συγκατακλεισθέντες τῷ Κύλωνι ἐν τῇ ἀκροπόλει εἰς τὴν κρίσιν κατέβησαν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ; qui igitur Cylonis partes sectabantur in Areopago causam dicebant.

Quaenam autem gravioris momenti res in Prytaneo vel ad Prytaneum praeter Ephetarum causas disceptatae sint, non habeo, quod doceam. Fortasse οἱ ἐκ Πρυτανείου καταδικασθέντες eos tantum significant, qui quum neglecta fide et religione Cylonis socios ad Minervae aras trucidassent a trecentis judicibus ad id ipsum, ut videtur, ἀριστίνδην electis (Plut. Sol. 12) e patria erant ejecti. Verba „ὑπὸ τῶν βασιλέων“, i. e. praesidentibus regibus, ad duo tantum posteriora membra (ἐκ τῶν Ἐφετῶν καὶ ἐκ Πρυτ.) referenda esse puto.

Areopagitarum collegio novum in modum a Solone constituto gravissima causarum capitalium pars Ephetis derogabatur relinquebanturque iis ea sola judicia, quae praeter Areopagum obtinuerant. Utrum in hisce semper exercuerint judicandi potestatem, an, quod plerisque videtur, cesserint paulatim heliasticis judicibus, jam paucis attingam. Populares judices certe Demosthenis et Isocratis aetate ad Palladium judicasse, probare solent duobus locis, Dem. scil. Neaer. p. 1348 et Isocr. c. Callim. p. 381. Quibus, quum alter ad codicum fidem restituendus, alter emendandus sit, nihil probari, satis mihi Forchhammer (Ind. schol. Kil. 45/46) demonstrasse videtur. Repetam breviter, quae ille disserit. Illo Demosthenis loco Stephanus quidam; a Ctesiphonte et Apollophane corruptus falso Apollodorum homicidii ad Palladium accusasse narratur. Quod tamen minus ei cessit e voto, nam ὀλίγας ψήφους μεταλαβὼν ἐκ πεντακοσίων ἀνδρῶν (ut vulgo exhibent oratoris verba) ἀπῆλθεν ἐπιορκήσας καὶ δόξας πονηρὸς εἶναι. Atque si judicum suffragia ferentium numerus fuit quingenti, heliasticos eos fuisse apparet. At codices non praebent ἀνδρῶν, sed δραχμῶν, quod conservans et cum verbo ἐπιορκήσας conjungens interpretatur F.: „perjurus factus ob quingentas drachmas“. Hisce igitur nummis nobis Stephanum corruptum fingamus. Apud Isocratem (c. Call. p. 381) exhibetur nobis Cratinus item caedis non voluntariae falso accusatus. Occultaverant ancillam inimici, eamque a Cratino interfectam esse contenderant. Qui quum ancillam investigasset vivamque in judicio constituisset, adeo judicibus innocentiam suam probavit, ut nullum acciperet suffragium accusator, ὥσθ᾽, inquit orator, ἑπτακοσίων μὲν δικαζόντων, τεσσάρων καὶ δέκα μαρτυρησάντων, ἅπερ οὗτος, οὐδεμίαν ψῆφον μετέλαβεν. At suspectus est locus. Nusquam septingentorum judicum fit mentio; si plus quingenti heliastici judices opus erant, conjungebantur fora, ut aut bis aut ter quingeni consederent (Poll. VIII, X). Mutato igitur vocabulo ἑπτακοσίων in ἐπ᾽ ἀκουσίῳ (facile φόνῳ e praecedenti suppletur), restitutoque quod codices praebent, ὥστε pro ὥσθ᾽ hunc sensum loco affert F.: „ut quum de non vol. caede judicarent, quattuordecim vero idem, quod ille, testati essent, ne unum quidem calculum auferret“. Ephetas certe Andocidis aetate ad Palladium judicasse, apparet ex orat. ejus de myst. § 78, quem locum mox in medium proferam. Sed Demosthenis etiam temporibus de causis huic foro addictis calculos tulisse videntur; exhibentur enim § 37 Arist. judicaturi, si quis homicidam locos interdictos non tangentem trucidasset. Opponunt quidem illic integram Solonis legem allatam esse in universum quidem oratoris aetate valentem, quantum vero ad judices attineat, usu infrictam. Sed quidni omittitur haec ultima

legis pars, si jam non valet? Quod autem Matthiaeus (Miscell. Phil. p. 159) conjicit, de hisce quidem causis cognovisse Ephetas, de reliquis non item, vix quisquam credat. Nam ad res dijudicandas, quae tam raro incidebant, vix proprium judicum collegium instituerunt.

Tribunal ad Delphinium Ephetis ademtum esse, uno quem modo laudavimus, Andocidis loco nititur maxime corrupto. Decrevisse scil. refert Andocides Athenienses Quadringentorum imperio sublato publicam veniam omnibus, *πλὴν ὅσα (ὀνόματα) ἐν στήλαις γέγραπται τῶν μὴ ἐνθάδε μεινάντων, ἢ ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ τῶν ἐφετῶν ἢ ἐκ Πρυτανείου ἢ Δελφινίου ἐδικάσθη ἢ ὑπὸ τῶν βασιλέων ἢ ἐπὶ φόνῳ τίς ἐστι φυγὴ ἢ θάνατος κατεγνώσθη ἢ σφαγεῦσιν ἢ τυράννοις* rel. Quod decretum mirum in modum congruere cum eo, quod a Plutarcho servatum inspeximus jam supra, apparet. Unus Fritschius (de sort. jud. p. 21) loci integritatem probare conatus est. Per Ephetas enim judicium ad Palladium repraesentatum esse putat, non quia Quadringentorum aetate illic judicarent (paulo post Solonis aetatem judicialia munera iis derogata esse statuit), sed quia proprium fuisset eorum antiquitus. Concedamus hoc, quamvis sit veri absimillimum. Quod autem per *βασιλεῖς* judicium *ἐν Φρεαττοῖ* significari luce clarius videtur viro doctissimo, non possum ab eo non dissentire. Nusquam habemus vestigium *φυλοβασιλέων ἐν Φρεαττοῖ* judicantium; Poll. VIII, X vero eos judicio ad Prytaneum praefuisse refert. Etiamsi igitur illud forum maritimum tribuum regibus damus, quomodo fingere possumus, tribunalium, quorum participes erant, alterum tantum per eos significari? Numquis facili opera sanare possit locum, dubito. Equidem scioli librarii calamo, qui hunc locum ad illius Plutarchici exemplum restituendum censebat, *Πρυτανείου* pro *Παλλαδίου* irrepsisse puto. Quo quidem restituto sic interpretor: ....exceptis iis, qui aut ab Areopago, aut ab Ephetis sive ex Palladio sive ex Delphinio sive sub tribuum regibus condemnati sunt. Reges enim judicium ad Prytaneum repraesentare puto, in quo primas partes egisse videntur. Quod si verum, habemus etiam singula fora eodem ordine allata, quem a Polluce (VIII, X) et Demosthene (§ 71 Arist.) observatum videmus, Prytaneum scil. post Palladium et Delphinium. Quod autem judicium Phreatticum non ut reliqua effertur, minus mirabitur, qui respiciat, rarissime tantum illic judicum habitos esse conventus. *Συμβαίνει δὲ τὰ τοιαῦτα,* inquit Aristoteles (Poll. IV, 13) *ἐν τῷ παντὶ χρόνῳ ὀλίγα καὶ ἐν ταῖς μεγάλαις πόλεσιν.* Nobis ne unum quidem hominum illic judicatorum exemplum innotuit. — Ephetas igitur sedibus suis depulsos esse minus probabile videtur. Si vero servasse eos tribunalia sua statuimus, jam non dubitabimus Pollucis verborum (VIII, X) *„κατὰ μικρὰ δὲ κατεγελάσθη τὸ τῶν ἐφετῶν δικαστήριον“* quam Forchhammer proposuit emendationem accipere. Mutata enim una littera *ε* in *η* sic exhibet locum: *„κ. μ. δὲ κατηγελάσθη...“*, i. e. ad minora tantum judicanda congregati sunt Ephetae, scil. caedis vel causis ad Areopagum delatis.

Solon igitur, ut satis notum est, novum consilium constituit, quod de certis homicidii causis in Areopago judicaret. Quod consilium ex archontibus munere sine probro defunctis compositum idemque tamquam summum custodem omnibus rebus, quae ad salutem patriae pertinerent, praefectum fuisse, nemo est, qui nesciat. Si jam quaerimus, cur non omnia aut integra Ephetis reliquerit *τῶν φονικῶν* judicia aut senatui Areopagitico mandarit Solon, quum eorum inter duo collegia distributionem multa incommoda secum ferre appareat, nobis de statu rerum non satis instructis respondere difficile est. Equidem ut et summae illius rei publicae custodiae auctoritas augeretur et res gravissimae maximaeque a judicibus maxima fide dignis discernerentur, principalem causarum capitalium partem Areopago traditam esse puto; tradebantur autem non omnes causae, ne nimia negotiorum multitudine impediretur, quominus singula juste curaret.

Jam venimus ad aliam quaestionem, quae triginta fere abhinc annos multum a viris doctis huc illucve jactata est, utrum scil. consilium Areop. judicia a Solone tradita exercuerit semper, an per aliquod tempus Pericle et Ephialte auctoribus maxima eorum parte privatum fuerit. Nostra aetate lis jam composita esse videtur. Monuit enim Forchhammer in dissertatione „de Areopago non privato per Ephialtem homicidii judiciis“ democraticorum illius temporis hominum minus interfuisse, ut caedis judicia Areopago eriperent, quam ut tollerent oligarchicam ejus potestatem, qua se omnibus rebus immiscere, quin etiam plebiscita infringere potuit. Atque revera omnes paene loci, quibus deminuti Areopagi mentio fit, tantum probare videntur, Areopagum tamquam *βουλήν*, i. e. inspiciendi et deliberandi ejus potestatem, debilitatum esse. Sic Isocr. Areop. p. 149 St. sequ.; Arist. Pol. 2, 12; Plut. Peril. c. 7 et 9, Cim. 10 et 15, Rei publ. ger. praec. c. 10 et 15, Pausan. 1, 29, 15; Diod. Sicul. 11, 77. Unus modo Lysiae locus, ut videtur, in sententiam contrariam ire jubet. Legimus enim in orat. de caede Eratosthenis p. 94 c. 30: *Τῷ δικαστηρίῳ τῷ ἐξ Ἀρείου πάγου, ᾧ καὶ πάτριόν ἐστι καὶ ἐφ᾽ ὑμῶν* (in man. *ὑμῖν*) *ἀποδέδοται τοῦ φόνου τὰς δίκας δικάζειν.* Quae si interpretamur, ut olim interpretari solebant: „Judicio Areop. cui patrium est et vestra aetate redditum de capitis causis judicare“, Areopago ante judicia erepta esse a nobis statuendum est. Sed jam aliter interpretando alius sensus loco affertur; conspirant fere omnes in eo, quod urgent perfecti absoluti verbi *ἀποδέδοται* vim. G. Hermannus servata Taylori emendatione *ἐφ᾽ ὑμῶν* interpretatur: „cui et patrium est et vestra aetate competit rel.“; sequuntur eum plerique recentiorum. At miranda est locutio „vestra aetate“, quum exspectes „nostra aetate“. F. codicum lectionem defendens pronomen rel. *ᾧ* quatenus ad primam sententiam pertineat, dativum commodi, quatenus ad alteram dativum subjecti, qui dicitur, accipit explicatque: „Areopago, cui et patrium est et a quo (*ὑφ᾽ οὗ*) ad vos translatum est cet.“ Adhibitum esse *ἐφ᾽ ὑμῶν* pro simplici et vulgari *ὑμῖν*, ut vitaretur orationis e duobus dativis oritura ambiguitas. Verba, quae movendi notionem in se contineant, etiam admittere praepositionem *ἐπί* cum dativo conjunctam, exemplis demonstravit F., ut ab hac parte nihil objici possit. Cf. Lys. de vuln. 102, 28, c. Agar. 134, 3, c. Eratosth. 122, 27, Andoc. myst. 11, 14, Dem. Timocr. 707, 24. Praestare autem mihi videtur altera viri dd. loci illius expeditio, quam ante sex septemve annos mecum communicavit, haec scil.: „Areopago, cui aeque patrium est capitis judicia exercere ac vobis (*ἐφ᾽ ὑμῖν*) traditum, i. e. cui aeque ac vobis competit“, neque quoniam dictionum *πάτριόν ἐστι* et *ἀποδέδοται* eadem fere est significatio, logicam rationem huic interpretationi obstare puto. Sed quamquam trium harum, quas attuli, explicandi rationum rectam esse censes, Areopago *τῶν φονικῶν* causas ereptas esse Lysiaco loco non evincitur. Ut omnem, quae restet, dubitationem removeamus, audiamus Dem. Arist. p. 641, 28: *Τοῦτο μόνον τὸ δικαστήριον* (*τὸ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ*) *οὐχ ὀλιγαρχία, οὐ δημοκρατία, οὐχὶ τύραννις τὰς φονικὰς δίκας ἀφελέσθαι τετόλμηκεν.* Quocum utique congruit Philochorus, ut e Photii lex. rhetor. p. 585 ed. Pars. discimus: *κατεστάθησαν* (*οἱ νομοφύλακες*), *ὅτε Ἐφιάλτης μόνα κατέλιπε τῇ ἐξ Α. π. βουλῇ τὰ ὑπὲρ τοῦ σώματος.*

Unum jam superest, quod paucis verbis attingam. Statuitur a plerisque juris Attici interpretibus (praeter alios cf. Weber. p. 292 libr. c, Herm. Alterth. S. 137) atque ipse autoritate eorum confisus antea credidi, homicidas per apagoges vel endeixis actionem in jus raptos coram judicibus heliasticis causam dixisse. Quod quidem per se maxime esset mirum, neque quum rem iterum tractarem, opinio illa justis argumentis mihi confirmata esse videbatur. Prae ceteris enim laudari solent Dem. in Tim. (105 p. 733), Antiphontis de caede Herodis, Lysiae in Agoratum oratio. Apud Demosthenem vero non agitur de homicidis, sed de furibus aliisque maleficis; apud Antiphontem non habemus *φόνου*,

sed κακουργίας reum; neque denique e Lysiae oratione quidquam elici potest. Appellantur quidem in ea judices „ὦ ἄνδρες", „ὦ ἄνδρες δικασταί", „ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι", sed haec eadem appellatio etiam in Ephetas quadrat, quibus Agorati causam judicare competivit. In Lysiae de caede Eratosth. oratione, quae certe ad Delphinium coram Ephetis haberi debuit, plus semel occurrit appellatio „ὦ ἄνδρες", „ὦ Ἀθηναῖοι". Hoc vero ex illa Antiphontis oratione concludendum est, accidisse interdum, ut mutato actionis titulo homicidam non caedis, sed maleficii postularent atque hac arte adhibita causam ad heliaeam deferrent. Aliud etiam exemplum caedis a judicibus ordinariis non judicatae Platnerus sibi invenisse videtur (Att. Proceß p. 68), sed maxime ei assentire dubito. „Einen ferneren Beweis dafür, inquit, daß man Todschläge nicht bloß bei den Blutgerichten, sondern auch bei andern Behörden angebracht, liefert die Rede gegen den Midias. Dieser giebt nämlich eine γραφὴ φόνου (p. 549), welche hernach als εἰσαγγελία aufgeführt wird (554, 10), bei dem Senat ein, unter welchem Ulpian fälschlich den Areopag versteht, indem Eisangelien nicht bei diesem, sondern bei dem Rath der 500 angebracht wurden." Hoc quidem et ego credo, ut omnia crimina, quae eximio modo rei publicae salutem labefactare viderentur, sic caedem etiam rebus faventibus per εἰσαγγελίαν persequi licuisse. Sed debuit Quingentorum senatus causam justo foro dijudicandam tradere (cf. Dem. in Euerg. § 43). Quaeri tantum potest, utrum senatus ipse litem instruxerit, an via usitata praeparandam curaverit.

II. De causis, quae cuique foro addictae erant.

Judiciorum omnium primum maximeque fama celebratum erat Areopagiticum. Hic Mars ob Halirrhotii caedem, Daedalus, quum Talum sororis filium, Cephalus, quum per errorem Procridem uxorem interfecisset, hic denique Orestes matricida causam dixisse feruntur. Ubicunque mentio fit Areopagi, summis laudibus efferri solet. Certe igitur dignus est, ad quem primum ac praecipue animum advertamus. Quaenam causae historicis temporibus Areopagitis competiverint, discimus e lege § 22 Dem. Aristocr. servata: Δικάζειν δὲ τὴν βουλὴν τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ φόνου καὶ τραύματος ἐκ προνοίας καὶ πυρκαϊᾶς καὶ φαρμάκων, ἐάν τις ἀποκτείνῃ δούς. Ad eam interpretandam nonnulla addenda esse videntur. Quum de caede non voluntaria ad Palladium judicatum esse constet, verba ἐκ προνοίας aeque ad φόνου atque ad τραύματος referenda sunt. Neque vero de omni caede cum voluntate commissa Areopagus judicabat; si ambigebatur, utrum jure quis interfecisset an non, res ad Delphinium deferebatur. Ergo quae hic commemoratur caedes, juris praetextu carere subintelligere debemus. Τραύματα ἐκ προνοίας non quaevis vulnera consilio inflicta significant, sed ea tantum, quae alter alteri ea mente intulit, ut eum trucidaret. Nam si liber erat, qui vulnerabat, interficiendi consilio, actio αἰκίας (cf. Harpocr. s. v.) aut ὕβρεως, prout res se habebat, instituebatur, quas quidem a judicibus heliasticis dijudicatas esse nemo nescit. Technicam quandam locutionis τραῦμα ἐκ προνοίας vel πρόνοια τραύματος notionem fuisse etiam e Lysiae c. Simon. § 41 apparet: οὐδεμίαν ἡγούμην πρόνοιαν τραύματος εἶναι, ὅστις μὴ ἀποκτεῖναι βουλόμενος ἔτρωσεν. Unde Heffterus (Att. Gerichtsv. p. 173) male colligit finxisse Athenienses, ubicunque quis praemeditatus vulnerasset, eum occidendi consilio vulnerasse; quod vix quisquam sibi persuadebit. — Jam quum in hoc loco versemur, aptum sit, errorem qui in Meieri et Schoemanni libro (Att. Proceß p. 308) occurrit, leviter attingere. Für Mord, ajunt, wurde es angesehen und es fand die Klage φόνου Statt, so Jemand einen Andern ermuntert hatte, einer dritten Person einen Schlag zu geben, an welchem diese nachher gestorben war. Quod ut per se est minime verisimile, ita exemplo allato minime probatur. Laudant enim Dem. c. Conon. 1264, 20: τὸν γοῦν τῆς Βραυρωνόθεν ἱερείας πατέρα ὁμολογουμένως οὐχ ἁψάμενον τοῦ τελευτήσαντος, ὅτι τῷ πατάξαντι τύπτειν

παρεκελεύσατο, ἐξέβαλεν ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου. Mentio fit hujusce rei ab oratore, ut demonstret, quam gravi poena dignus sit Conon, quum filium, quem a verberando revocare debuit, insuper esset adhortatus. At nescimus plane, utrum dicta caedis causa pater ille sacerdotis ad exilium damnatus sit, an inspectoris auctoritate eum ejecerit Areopagus. Immo ex brevi hac commemoratione posterius potius conjicias. Nam si Areopagum tamquam capitis judicium significant oratores Attici, τὴν βουλὴν τὴν ἐν Ἀρ. π. appellare solent. Praeterea quos caedis reos coarguit Areopagus, eos non ejecit, sed capitis supplicio affecit. Ceterum ne id quidem scimus, num omnino e patria homo ille ejectus sit. Maxime mihi arridet Westermanni conjectura, qui Areopagitam eum fuisse atque a sociis facinus illud aegre ferentibus ex Areopagitarum collegio remotum esse censet. Sed quidquid est, jam videmus e re tam incerta nihil concludi posse. Quin ob ejusmodi ad verbera continuanda adhortationem actio institui potuerit, non licet dubitare; sed ὕβρεως, vel si res ferebat, βουλεύσεως γραφή, non φόνου. Ceterum et incendii et veneficii causas ad Areopagum tum tantum delatas esse, quum dolo malo crimina peracta erant, consentiunt, quantum scio, omnes juris Attici interpretes. Ergo in lege interpretanda aut verba „ἐκ προνοίας“ mente repetas ad sequentia, aut quod simplicius videtur, γραφὴν πυρκαϊᾶς et φαρμάκων in legum sermone sensu praegnante actionem incendii et veneficii malo consilio commissi significasse credas. — De mira veneficii causa Aristoteles Mor. M. 1, 17 refert, quae primum quidem inspicienti, num re vera de solis voluntariis veneficis Areopagitae cognoverint, dubium movere possit, mulierem scil. quum viro cuidam ad amorem ejus sibi comparandum venenum dedisset, ad Areopagum esse deductam atque ab eo absolutam. Sed qui detulerit rem, actionem veneficii malo consilio peracti et Areopagitas judices sibi postulasse, licet suspicari. Ii vero quum statu rei explorato causam ad se non pertinere intellexissent, absoluerunt mulierem atque rem in justo foro ulterius persequendam remiserunt accusatori. Neque igitur inde colligere possumus, veneficos non voluntarios poena omnino non esse affectos.

Quod additur in lege nostra „ἐάν τις ἀποκτείνῃ δοὺς“, inde apparet, qui non sua manu dederat venenum, sed per alterum praebendum curaverat, eum non in judicium Areopagiticum vocatum esse. Pertinebat ejusmodi crimen ad βουλεύσεως notionem, quam ab Areopago judicatam esse, injuria a nonnullis contenditur. Jam igitur de hac quaestione paulo accuratius videre aptum sit. Prae ceteris audiendus est Harpocratio, qui s. v. haec praebet: βούλευσις, ἐγκλήματος ὄνομα ἐπὶ δυοῖν ταττόμενον πραγμάτων, ὅταν ἐξ ἐπιβουλῆς τίς τινι κατασκευάσῃ θάνατον, ἐὰν ἀποθάνῃ ὁ ἐπιβουλευθεὶς, ἐάν τε μή.... Τοῦ μὲν οὖν προτέρου μάρτυς Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς Εὐκλείδην, ἐπὶ Παλλαδίῳ λέγων εἶναι τὰς δίκας, Δείναρχος δ' ἐν τῷ κατὰ Πιστίου ἐν Ἀρ. παγ., Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῷ τῶν Ἀθηναίων πολιτείᾳ τῷ Ἰσαίῳ συμφωνεῖ. Sub v. ἐπὶ Παλλ. haec inveniuntur: δικαστήριον, ἐν ᾧ ἀκουσίου φόνου καὶ βουλεύσεως δικάζουσιν οἱ Ἐφέται. Βουλεύσει igitur is agit, qui per insidias alicui mortem parat. Neque vero omnes, qui non aperta vi, sed occultis machinationibus interfecerant, βουλεύσεως accusare licebat; opus erat, ut ipsi a necando manus abstinerent. Quod quidem apparet e locis nonnullis, ubi βουλεύσει agenti opponitur is, qui sua agit manu. Cf. Plat. legg. 9, p. 871 E: Ἐὰν δὲ αὐτόχειρ μὲν μή, βουλεύσῃ δὲ θάνατον sequ. Antiph. de Chor. § 16: διωμόσαντο δὲ οὗτοι μὲν ἀποκτεῖναι με Διόδοτον βουλεύσαντα τὸν θάνατον, ἐγὼ δὲ μὴ ἀποκτεῖναι, μήτε χειρὶ ἀράμενος μήτε βουλεύσας. Andoc. de myst. 94 p. 12: τὸν βουλεύσαντα ἐν τῷ αὐτῷ ἐνέχεσθαι καὶ τὸν τῇ χειρὶ ἐργασάμενον. Βουλεύσας φόνον igitur idem fere fuisse videtur, quem nostri vocant „den intellectuellen Urheber“ (cf. F. de Ar. p. 31). Errat autem Boeckhius (Ind. schol. Berol 1826/27), qui ἐκ προνοίας ἀποκτεῖναι ac βουλεύσαντα ἀποκτ. idem habet. Nam quomodo, quaeso, βούλευσις proprium ἔγκλημα vocari po-

test, si *βουλεύσας φόνον* idem est ac qui praemeditatus caedem perpetrat? Quod ad judicium attinet, in quo de illo crimine disceptarent, sibi contraria igitur tradit Harpocratio. Quae quidem Boeckhius inter se conciliare studet; Aristotelem et Isaeum de iis tantum insidiis locutos esse putat, quibus factis mors non esset subsecuta, effecta autem morte Areopagitas judicasse. At contra monuit Forchhammer (p. 32 l. c.), Aristotelem in Atheniensium re publica describenda levioris tantum *βουλεύσεως* rationem habuisse, graviorem neglexisse, minime esse verisimile. Potius credendum, Harpocrationem obscuro Dinarchi loco in errorem abductum esse. Fuit Areopagita Pistias ille (Din. in Demosth. 96, 44). Dixit fortasse Dinarchus, ejusmodi hominem ab Areopagitis ejiciendum esse (scil. ex Areopago) vel similia, quibus deceptus H. illa retulit. *Βουλεύσεως* vero crimen non ad Areopagum pertinuisse, potissimum eo probatur, quod non enumeratur in nostra lege, probatur et eo, quod veneficorum tantum, qui sua manu porrexerant venenum, ratio habetur. Quid enim additur illud *δούς*, si et ii in Areopagum deducebantur, qui per alterum venenum porrigendum curaverant? — Neque ille Demosthenis locus (c. Con. 1264, 20) quem jam supra tetigimus, idoneus est, qui dubium nobis moveat (Hermannus Staatsalth. S. 102 N. 4 eo offendi videtur). Nam, ut diximus, nescimus plane, an non caedis vel *βουλεύσεως* actio intenta fuerit patri sacerdotis. Ceterum is non auctor verberandi sed continuadorum tantum verberum adhortator fuisse videtur. Denique scholion etiam ad Aesch. F. L. § 87 Ephetis *βούλευσιν* judicandam tribuit: *ἐδίκαζον δὲ (οἱ Ἐφέται) ἀκουσίου φόνου καὶ βουλεύσεως, καὶ οἰκέτην ἢ μέτοικον ἢ ξένον ἀποκτείναντι.* Simul hocce scholio edocemur judicium Areopagiticum de criminibus in lege nostra enumeratis tum tantum cognovisse, si in cives Athenienses erant commissa.

Jam paucis exponamus, quae de quattuor Ephetarum tribunalibus eorumque causis notanda esse videntur. Mythica illa, quae de judicii ad Palladis sacrum institutione apud Pausaniam (1, 28, 8) feruntur, jam praetermitto. Apparet ex iis, etiam illud forum jam antiquitus in usu fuisse. Crimina ei addicta praeter unum enumerantur in scholio modo laudato. Erant caedes non voluntaria, *βούλευσις* et si quis voluntariam caedem homini civitate Attica non instructo, i. e. inquilino, peregrino, homicidae exulanti, paraverat. Pleraque testimonia et gravissima (Dem. Arist. § 71, Harpocratio. s. v. *ἐπὶ Παλλαδίῳ*, Eustath. ad Od. p. 1419, 52) caedis voluntariae ad Palladium persequendae non faciunt mentionem, neque igitur sine ullo jure scholio illi suspicionem moveamus. Sed quae Harpocratio exhibet (cf. p. 46) adeo cum scholiastae nostri verbis congruunt, ut uterque ex eodem fonte hausisse, apud illum vero posteriora interiisse videantur. Demosthenis autem minus interfuit, omnes causas accurate enumerare, quum Charidemus, in cujus favorem scriptum erat psephisma oratione nostra impugnatum, non esset peregrinus, sed civis Atheniensis. Aliud etiam scholion, quod in Beck. Anecd. p. 194 invenitur: *„ἐὰν μετοικόν τις ἀποκτείνῃ, φυγῆς μόνον κατεδικάζετο, ἐὰν μέντοι ἀστὸν θάνατος ἢ ζημία“*, idoneum est, quod aliquid dubitationis nobis adimat. Nam si aliam poenam iis statuerunt, qui civem, aliam qui inquilinum occidisset, quidni alii etiam judicio inquilini caedem cognoscendam tradere potuerunt? Areopagum igitur de civium tantum, Ephetas ad Palladium de reliquorum caede consulto facta judicasse verisimile est.

Ad Delphinium de justa caede disceptatum esse, nemo nescit (cf. Dem. Arist. § 72). Accusator scil. internecionis injuria factae actionem intendisse putandus est; si facinus quidem confitebatur reus, habebat autem, quibus se excusaret, neque inepta eum obtendisse statum apparebat, archon rex ad Delphinium causam deferre debebat. Quibusnam conditionibus licuerit impune occidere, quum aliis locis, tum legibus § 53 et 60 Dem. Arist. allatis edocemur. § 53: *Ἐάν τις ἀποκτείνῃ ἐν ἄθλοις ἄκων ἢ ἐν ὁδῷ καθελὼν ἢ ἐν πολέμῳ ἀγνοήσας, ἢ ἐπὶ δάμαρτι ἢ ἐπὶ μητρὶ ἢ ἐπ' ἀδελφῇ ἢ ἐπὶ θυγατρὶ ἢ ἐπὶ*

παλλακῇ, ἣν ἂν ἐπὶ ἐλευθέροις παισὶν ἔχῃ, τούτων ἕνεκα μὴ φεύγειν κτείναντα. Quaenam sibi velit lex, in universum liquet. Dubitaverant tantum, quid sit „*ἐν ὁδῷ καθελών*". Non autem est, cur a veterum grammaticorum interpretatione, qui *ἐν ὁδῷ* idem habent atque *ἐν λόχῳ* vel *ἐν ἐνέδρᾳ* abscedamus. Probatur haec vocaculi *ὁδός* significatio Homer. H. 1, 151: „*ἢ ὁδὸν ἐλθέμεναι ἢ ἀνδράσι ἶφι μάχεσθαι*" et Pindari Ol. XI, 20: „*δάμασε καὶ κείνους Ἡρακλῆς ἐφ' ὁδῷ*", ubi cf. scholion: ...*αὐτοῖς συνεστήσατο λόχον*. — *Πόλεμος* scil. apertum Martem significat, sicuti H. 1, 226: „*οὔτε ποτ' ἐς πόλεμον ἅμα λαῷ θωρηχθῆναι οὔτε λόχον δ' ἰέναι*". Liberatur igitur caedis actione, qui socium in insidiis positum ideoque non satis conspicuum imprudenter pro hoste occidit. **Reiskius** verba *ἐν ὁδῷ* interpretanda censet „in via publica", eaque viatori aggredientes latrones interficiendi potestatem dare putat. Sed vix ferri possit ejusmodi legislatoris breviloquentia; praeterea lex statim in medium proferenda eam continet sententiam, quam **Reiskius** illis verbis inesse putat, atque idem duabus legibus exprimi, quae certe in columna etiam sibi propinquae erant, veri absimile est. Ceterum bene monet **Weberus** participium *ἀγνοήσας* ad utrumque, et ad „*ἐν ὁδῷ*" et ad „*ἐν πολέμῳ*", referendum esse. Etiam in interpretandis verbis „*ἐπὶ παλλακῇ* sequ." cum **Webero** consentio; significant scil. „*ἣν ἐπὶ τεκνώσει ἐλευθέρων παίδων ἔχῃ*". Lex § 60 laudata valet in latrones, contra quos sua defendat quis: „*Καὶ ἐὰν φέροντα ἢ ἄγοντα βίᾳ ἀδίκως εὐθὺς ἀμυνόμενος κτείνῃ, νηποινεὶ τεθνάναι* (scil. *τὸν ἄγοντα*)". Conferas, quae in orat. Timocrat. 113, p. 736 inveniuntur: „*εἰ δέ τις νύκτωρ ὁτιοῦν κλέπτοι, τοῦτον ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι καὶ τρῶσαι διώκοντα καὶ ἀπαγαγεῖν τοῖς ἕνδεκα*". Vocabula *βίᾳ ἀδίκως* non addita esse puto, sicut **Riemerus** (Spec. crit. inaug. p. 56), ut vehementis injuriae notio solis jam verbis *φέρειν* et *ἄγειν* expressa efferretur et augeretur. Verba quidem simpliciter posita consuetudine loquendi significationem diripiendi et depopulandi acceperunt, sed per se non habent. Potest aliquis, ut recte **Weberus** monuit, (p. 240), etiam ferre et agere, quod dono accepit vel non invito altero nactus est. Legislatoris autem est, accurate cauteque loqui.

Pauca obscuraque sunt, quae de judicio ad Prytaneum nobis traduntur. Cf. Dem. Arist. § 76, Paus. I, c. 28, 11, A. VII, c. 11, 2, Aesch. in Ctes. 244, p. 88. Harpocratio s. v. Consentiunt omnes ibi de rebus inanimatis, quibus mors hominis effecta esset, judicatum illasque damnatas ultra fines regionis transmissas esse. Novum quid addit Pollux VIII, 120: „*δικάζει δὲ περὶ τῶν ἀποκτεινάντων κἂν ὦσι ἀφανεῖς*", quod minime spernendum videtur. Nam per se est verisimillimum, quum caedem non casu, sed homine auctore factam esse ad Pryt. cognovissent, non solum internecionis instrumenta sed ignotum etiam interfectorem exsacratum solemnique modo ei patria interdictum fuisse. Atque si decretum illud ab Andocide (Myst. § 78) servatum adhibere licet, homines etiam ad Pryt. damnatos esse statuere debemus. Fortasse si homicidam in patria latentem suspicarentur, Ephetae etiam eum investigandum curarunt vel adjuverunt investigantes vindices.

Quaesiverunt etiam, num animalia, quae hominis mortem effecissent, in nostrum judicium ducenda damnataque exterminanda fuissent. Quum autem ineptum esset, res inanimatas exsecrare atque ejicere, animalia dimittere, affirmare debemus, quamvis deficiant testimonia, adjuvaturque sententia nostra Platonis praeceptis (legg. IX, p. 873), qui in hac re certe institutis Atticis ductus est. — Tradit praeterea Pollux: „*προειστήκεσαν τούτου τοῦ δικαστηρίου οἱ φυλοβασιλεῖς*". Qui quidem antiquitus quattuor tribuum Jonicarum sacris praefecti, ut pleraque sacra antiquorum instituta etiam decem tribubus constitutis servati esse videntur. Quid autem hisce verbis indicare voluerit P., non satis liquet. Nam archontem secundum, ut in reliqua judicia sic in hoc nostrum etiam causas intulisse, ergo praesidis munere ibi functum esse, probatur Poll. VIII, 90: „*δικάζει δὲ καὶ τὰς τῶν ἀψύχων δίκας ὁ βασιλεύς*"

et Beck. anecd. p. 310: „ὁ βασιλεὺς εἰσάγει τὰς φονικὰς δίκας ἁπάσας". Praeterea non bene intelligitur, quomodo quattuor reges judicibus praeesse potuerint. Fortasse unus eorum, et is quidem, cujus tribulis erat occisus, easdem fere partes agebat, quas nostris temporibus juratorum princeps (der Obmann der Geschworenen) i. e. judicibus praeerat inter se consultantibus, utrum condemnare an absolvere vellent. Certe autem, quum exsecrarent sive res sive bestias sive homines, quos damnaverant, tribuum reges principales sustinebant partes. — In judicio denique Phreattico causam dicebant ii, qui quum ob caedem non vol. exilio essent multati, novae caedis consulte factae erant accusati (cf. Arist. § 77 ...ἐάν τις ἐπ' ἀκουσίῳ φόνῳ πεφευγὼς, ...αἰτίαν ἔχῃ ἑτέρου φόνου ἑκουσίου. Paus. 1, 28, 11). Non enim permittebat veterum religio, ut homines caede polluti legitimo exulandi tempore nondum peracto patrium solum tangerent; constituerunt igitur forum juxta mare, ubi in navicula stantes ejusmodi rei audiri possent. Suidas, Hesychius, Etym. M. auctor a Demosthene, quem laudant tamen, abscedunt, de caede non vol. ἐν Φρεαττοῖ judicatum esse referentes. Eorum quidem testimonia contra Demosthenis nihil valere apparet; sed quid factum est, si exulans homicida iterum inconsulto interfecerat? Weberus (p. 286 l. c.) Demosthenem breviter loquendi studio abductum minus accurate locutum et de utroque caedis genere in hoc maritimo foro quaestionem habitam esse putat. At injuria, ut mihi videtur; nam si breviter loqui voluit Demosthenes, quidni omisit illud ἑκουσίαν? Sic et brevissime et accuratissime secundum Weberi opinionem dixisset. Si de re tam dubiosa conjecturam facere licet, ejusmodi homicidas post reditum in jus vocatos esse credas. Neque vero Hornii sententia (Kieler Progr. 1859 p. 13) probari potest, qui quum caedis non voluntariae supplicium esset exilium, ab exulibus novam poenam omnino non sumi potuisse ideoque judicium supervacaneum fuisse opinatur. Nam, ut postea videbimus, exilii vel proferendi vel finiendi potestas in propinquorum occisi arbitrio posita erat. Homicida igitur iterum condemnatus et ejus, quem postremum interfecerat, necessarios sibi reconciliare debebat, atque haec certe nova erat poena.

III. De accusatoribus et de via ac ratione causae persequendae.

Hominis internecionem, quamvis sit crimen toti rei publicae periculum afferens, tamen non cuivis civium directa usitataque via, scil. per γραφὴν φόνου persequi licuit, sed certis tantum personis, quae quum arctissimo vinculo cum interfecto conjunctae essent, naturali quodam stimulo ad eum ulciscendum impellebantur. Libero homine occiso propinquorum ἐντὸς ἀνεψιότητος, servo trucidato domini erat justa sanguinis vindicta, neque vero ad accusandum lege coacti esse videntur.

Omnes, quantum scio, juris Attici interpretes de hac re inter se consentiunt; unus tantum Hornius (l. c. p. 14 sequ.) longiore disputatione aliud sibi probasse videtur, jus scil. litis intendendae omnibus civibus fuisse, propinquis autem vel dominis necessitatem accusandi legibus impositam esse opinatur. Iterum igitur locos huc spectantes examinemus. Poll. On. VIII, 118 haec traduntur: „φόνου δὲ ἐξῆν ἐπεξιέναι μέχρις ἀνεψιῶν καὶ ἐν τῷ ὅρκῳ προδιερωτᾶν, τίς προσήκων ἐστὶ τῷ τεθνεῶτι· κἂν οἰκέτης ᾖ, ἐπισκήπτειν συγκεχώρηται". Pollux quidem expressis verbis homicidam aggredi necessariis neque igitur aliis licuisse affirmat, sed infringitur iterum ejus testimonii vis loco Onom. VIII c. VI obvio, ubi enumeratis omnibus actionibus publicis hasce omnes a quovis civium institui posse annotat. Ergo aut hic aut illic eum ambiguo veteris scriptoris loco deceptum esse confitendum est. — Alter locus apud Demosthenem (in Euerg. et Mnesib. p. 1160 et 61) invenitur, quem quamvis longum, quum ad quaestionem nostram discernendam maximi sit momenti, transcribam: „τάδε συμβουλεύομεν σοι (οἱ ἐξηγηταί), ἐπειδὴ αὐτὸς μὲν οὐ παρεγένου, ἡ δὲ γυνὴ καὶ τὰ παιδία ... εἶτα πρὸς τὸν βασιλέα μὴ

λαγχάνειν. Οὐδὲ γὰρ ἐν τῷ νόμῳ ἔστι σοι. οὐδὲ γάρ ἐστιν ἐν γένει σοι ἡ ἄνθρωπος οὐδὲ θεράπαινα ἐξ ὧν σὺ λέγεις. οἱ δὲ νόμοι τούτων κελεύουσι τὴν δίωξιν εἶναι. ὥστ' εἰ διομεῖ ἐπὶ Παλλαδίῳ αὐτὸς καὶ ἡ γυνὴ καὶ τὰ παιδία…, χείρων τε δόξεις πολλοῖς εἶναι, κἂν μὲν ἀποφύγῃ σ' ἐπιωρκηκέναι ἐὰν δὲ ἕλῃς, φθονήσει. ἀλλ' ὑπὲρ σεαυτοῦ, καὶ τῆς οἰκίας ἀφοσιωσάμενος ὡς ῥᾷστα τὴν συμφορὰν φέρειν, ἄλλῃ δὲ, εἴ πῃ βούλει τιμωροῦ. ταῦτα ἀκούσας… ἐβουλευόμην μετὰ τῶν φίλων, ὅτι χρή με ποιεῖν… ἃ δ' ἐκ τῶν νόμων οὐκέτι μοι προσῆκεν, ἡσυχίαν εἶχον. Κελεύει γὰρ ὁ νόμος τοὺς προσήκοντας ἐπεξιέναι μέχρι ἀνεψιαδῶν καὶ ἐν τῷ ὅρκῳ διορίζεται, ὅτι προσήκων ἐστὶ κἂν οἰκέτης ᾖ, τούτων τὰς ἐπισκήψεις εἶναι. …ψεύσασθαι δὲ πρὸς ὑμᾶς… οὐκ ἂν ἐτόλμησα". Homo quidam ignoti nominis hac oratione Euergum et Mnesibulum falsi testimonii accusat. Ad mores eorum describendos enarrat facinus ab illis paucis diebus ante perpetratum. Orator scil. propinquo cuidam eorum certam pecuniam debuit, et quamquam hanc paratam esse illi jam indicaverat, tamen Euergus et Mn. in domum ejus irrumpunt atque se pignora pro necessario capere praetendentes ferunt aguntque, quaecunque arripere possunt. Vixit in domo illa anus quaedam, olim nutrix oratoris nostri. Serva fuerat, sed jam ab hujus patre manumissa erat, et quum matrimonii causa per aliquod tempus domo abfuisset, marito mortuo ultro redierat. Quae quidem viros illos omnia auferre videns poculum sinu condidit; quod quum jussa ab Euergo et Mn. tradere nollet, adeo ab iis verberata est, ut paucis hebdomadibus postea moreretur. Jam orator noster exegetas adiit interrogaturus, quid sibi in hac re faciendum esset, atque respondent illi, quae supra transcripsimus. Apparet statim locutiones, de quibus agatur, ambiguas esse (*οὐδὲ ἐν τῷ νόμῳ ἐστί σοι* etc.); interpretari possumus: „per legem tibi non licet" et „lege non cogeris". Quum autem illi juris sacri interpretes omnino ponant, posse oratorem nostrum homicidas in jus vocare, H o r n i u s hanc posteriorem interpretationem unice rectam esse censet; verba etiam „*χείρων…φθονήσει*" aliter intelligi non posse existimat. Attamen, quominus cum eo faciamus, primum, quae sequuntur, verba impediunt. Manifesto ex iis apparet, in jurejurando coram judicibus dando additum esse, interfecti propinquum vel dominum esse accusatorem. Quomodo hoc fieri potuit, si et aliis jus erat accusandi? Quam difficultatem H. quidem removere studet conjectans, non opus fuisse accusatoribus illud addere, sed licuisse tantum, ut *πολυπραγμοσύνης* invidiam effugere possent. Sed hoc credat, qui potest. Quid praeterea sibi volunt verba „*ψεύσασθαι δὲ πρὸς ὑμᾶς* sequ."? Nonne disertis verbis orator indicat, se, nisi perjurio judices decepisset, caedis actionem instituere non potuisse? Eam vero hujus sententiae interpretationem, quam H. in medium profert (p. 17), „adversus vos autem mentiri, id quod necesse fuisset, ut officio coactus esse viderer neve in *πολυπραγμοσύνης* invidiam inciderem" vix quemquam probaturum esse puto; nam ejusmodi aposiopesis ferri non potest. — Altera etiam ratione ductus H o r n i i opinionem reprobo. Scimus videlicet Harpocr. auctore fieri potuisse, ut propinqui accepta pecunia (*ὑποφόνιον*) homicidam persequi omitterent (p. 290 *ὑποφόνια τὰ ἐπὶ φόνῳ διδόμενα χρήματα τοῖς οἰκείοις τοῦ φονευθέντος ὑπὸ τοῦ τὴν αἰτίαν ἔχοντος, ὅτι ἀνῄρηκεν ἐπὶ τῷ μὴ ἐπεξέρχεσθαι μηδὲ γενέσθαι τὴν τοῦ φόνου δίκην*). Non quidem liquet, utrum hoc ad omnia caedis genera an ad solam caedem involuntariam referendum sit, sed alterutrum putemus necesse est. Accedit, quod apud Demosthenem (Theocr. 828) vir quidam fratre occiso percussori argentum offerenti actionem non intendisse narratur. Constat igitur (et ipse H o r n i u s idem sentit p. 20), certe caedem non voluntariam data pecunia lui potuisse, ergo e propinquorum voluntate dependisse, utrum accusare vellent an non. Nostro autem loco de caede non voluntaria agitur; Euergus et Mnesibulus ancillam vexaverant ac vulneraverant, iis autem animum occidendi fuisse, nulla re indicatur. Quodsi verba „*οὐδὲ γὰρ ἐν τῷ νόμῳ…δίωξιν εἶναι*" interpretamur: „lege non cogeris…lex cogit propinquos

ut percussorem persequantur" sensum iis obtrudimus, quem habere non possunt; nam quum caedes imprudenter facta esset, lex ad litem intendendam non cogebat. — Quod ad verba „χείρων . . . φθονήσει" attinet, quibus H. praecipue offenditur, rem sic fere mihi explico. Anus illa quum serva fuisset et sponte sua in domum oratoris nostri revertisset, facili fortasse opera fieri potuit, ut hic, si mentiri vellet, eam ultro in servitutem rediisse, vel semper eam ancillam fuisse, judicibus persuaderet. Nihilominus autem potuit accidere, ut inimicorum quis veram rei rationem, etiamsi non exploratam haberet, tamen suspicaretur atque suspicionem inter cives dispergens, summum odium contra illum excitaret. Interpretor igitur: „multis deterior videberis . . . et si rei effugerint, videberis perjurasse (nam tu illos facinus perpetrasse affirmasti, absolventes judices negant), et si viceris, invidiam tibi conflabis (quia nonnulli causam ad te non pertinere suspicabuntur)". Perjurasset quidem, etiamsi vicisset, ergo oratorem nostrum, quum alteram tantum jurisjurandi partem respiciat, minus accurate dixisse confitendum est, sed haec est negligentia dicendi, quae mihi quidem ferri posse videtur. — Quod denique actor ille tamdiu cum amicis deliberavit, etiam non est, quod sicut Hornius miremur; nam non solum deliberasse videntur, accusandum esset an non, sed de omnibus rebus ad caedem illam spectantibus, e. g. de caerimoniis in funere instituendis. — Num deficientibus justis necessariis contribules vulgarem γραφὴν φόνου intendere potuerint, dubium est. Probare id quidem student Dem. Macart. 1168, 28, ubi οἱ φράτορες propinquos in percussore persequendo adjuvare jubentur, tribuiturque iis potestas, si desint propinqui, cum homicidis non voluntariis in gratiam redeundi; sed inde nihil certi concludi posse apparet. — Si occisus ante mortem veniam dederat interfectori, non cuiquam propinquorum licuisse videtur hunc de caede postulare. Probatur hoc quidem non satis Dem. loco, quem afferre solent (Pantaen. § 90), quum variante codicum lectione dubium relinquatur, utrum de caede voluntaria an non vol. sit sermo, sed per se est verisimillimum interfecti ipsius veniam semper tantum valuisse, idque confirmatur praeceptis Plat. (legg. IX, p. 35 Bip.): ἐὰν μέντοι ὁ τεγευτήσας πρὶν τελευτῆσαι τὸν δράσαντα φόνον ἀφίῃ ἑκών, καθάπερ οἱ τὸν ἀκούσιον ἐξεργασάμενοι φόνον καθαρθεὶς καὶ τἄλλα, ὅσαπερ ἐκεῖνοι πράξας, καθαρός ἔστω.

